Adulteros recte nuncupat quos derelicto
amore sapientię cęlestis ad amplexus
potius amicitię mundialis esse deflexos
increpat· quos secundo timore contempto mammonę
magis seruire cernebat· Quicumque enim
uoluerit amicus esse seculi huius inimicus dei
constituetur· Ergo inimici dei· omnes amatores
mundi· omnes inquisitores nugarum· omnes
pertinent ad eos de quibus dicit· Quo ecce inimici
tui domine peribunt· Intrent ecclesias· non intrent
ecclesias· inimici dei sunt· Aut putatis quia inaniter
scriptura dicat· Illa uidelicet scriptura:
quę amalech societate fideles cohercens·
ita per moysen loquitur· Non inibis cum eis
foedus nec cum diis eorum· Ad inuidiam concu
piscit spiritus· qui habitat in uobis· Interrogatiue

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 262, p. 48 – Beda in epistolas canonicas (http://www.e-codices.ch/it/csg/0262/48)